

et pacta cum ipso de inter nos mutuo adiutorio duximus ineundum^a, promittentes firmiter et sincere fidei puritate, nos eidem domino Edwardo regi Anglye predicto pro suis necessitatibus, quandocunque nos suis certis legacionibus et litteris habuerit requisitos, contra suos adversarios quoslibet, Romano imperio dumtaxat excepto, ducentos viros galeatos in civitatem Franchenfûrt iuxta Renum nostris sub expensis sibique in auxilium transmissuros eosque ibidem suis manibus assignandos et abinde in suis expensis propriis ac pro suis similiter usibus traducendos. Quos quidem ducentos galeatos in ipsorum reditu ad locum Franchenfûrt predictum securo transitu nobis assignando reducet. Simili quoque condicione magnificus dominus Edwardus Anglye rex predictus viceversa nobis sincere fidei constancia promisit firmiter et spopondit, ut quandocunque ac quocienscumque ipsum legacionibus nostris et litteris duxerimus requirendum, extunc ipse rex Anglye prenotatus occasione et dilacione quibuslibet postpositis et semotis contra nostros adversarios quoscunque ducentos viros galeatos bene expeditos in civitatem Franchenfûrt antedictam suis sub expensis transmittere tenebitur nobisque aut nostris legalibus nunciis inibi assignare ipsos ab hinc nostris propriis sub expensis amodo traducendos ac nostris usibus applicandos, quibus ad propria reversuris, ipsos usque ad civitatem Franchenfûrt supradictam securi conductus presidio reducemus. Intervenit tamen specialis quedam paccio et promissum, ut videlicet pro lite presenti, quam sepredictus Anglye rex contra magnificum dominum Philippum regem Francie illustrem exnunc pre manibus habere dinoscitur, loco ducentorum galeatorum, quos eidem pro lite iamdicta traducere deberemus, si nobis convenientius apparebit, terram et gentem illustris ducis Burgundie decenti comitiva invadere possumus et debemus ipsamque valide et hostiliter occupare, quo quidem Anglye rex predictus bene contentus de pretactis ducentis galeatis nos pro ista vice debebit habere penitus supportatos. Adicientes nichilominus et firmiter promittentes, ut dictus rex Anglye cum eodem rege Francie ac duce Burgundie nullam compositionem seu concordie unionem recipiet seu iniet sine nobis; nec nos sine ipso huiusmodi compositionem seu unionem concordie similiter debemus recipere vel inire, nisi nobis utrimque et mutuo tractatibus eisdem et compositionum placitis interclusis. In cuius rei evidens testimo-

a) So Or.